5

AUGUSTINI RONCONI

PHIL. ET MED. D.

IXIAE NOVAE SPECIEI

DESCRIPTIO

CUM TABULA.

NEAPOLI

APUD ANTONIUM GARRUCCIO

MDCCCXV.



MONITUM.

Ixiae parviflorae Descriptio, quam tribus abhinc annis cum nonnullis aliis minus cognitis plantis typis vulgare putaram, nunc una prodit. Hoc factum volui, ut Botanicis innotescat, eam deinceps non esse cum *Ixia Bulbocodio* confundendam.

IXIA PARVIFLORA.

Syst. sex.
Cl. 3. Ord. 1.
Triandria monogynia

Meth. Juss.
Cl. 3. Ord. 8.
Irides.

IXIA PARVIFLORA. Scapo ramoso folioso, floribus solitariis, foliis filiformibus, compressis, leviter striatis, longissimis.

Germinat in arenis nostri litoris, vulgo *Bagnoli* et *Granatello*,

Floret Februario et Martio.

Descriptio.

Radix bulbosa. *Radiculae* fibrosae, numerosae.

Scapus solitarius, foliosus, erectus, palmaris, teres, glaber, foliorum vaginis vestitus, apice bifidus, raro trifidus aut simplex.

Rami, seu scapi divisiones, nudi, semiteretes, scapi fere longitudine, uniflori; floriferi adscendentes, fructiferi vero cernui.

Folia 4. ad 6., caulina fere semper bina, reliqua radicalia, usque ad scapi divisionem vaginantia, compressa, glabra, leviter striata, antice marginibus ad eorum longitudinis medietatem arcte conniventia, a 5. ad 7. pollices longa, scapo longiora, recurvata.

Hybernaculum. *Bulbus* solidus, subrotundus, albus, tunica dilute ferruginea obductus, cicere duplo maior, bulbo praecedentis anni iam emarcido superimpositus.

Flores parvi, solitarii, terminales.

Calyx. *Spatha* bivalvis, persistens, uniflora, corolla parum brevior, valvulis gluminformibus inaequalibus, oblongis, acutis, integris; superior membranacea ac minor, arcte germen corollaeque tubum cingens.

Corolla monopetala, supera, profunde sex-partita, tubo brevi recto. *Laciniae* lanceolatae, acutae, patentes, ad basin dilute luteae, inaequales; exteriores paullo longiores, foris magis virescentes cum striis obscure violaceis; intus omnes tribus lineis longitudinalibus fuscescentibus notatae.

Stamina. *Filamenta* tria, distincta, erecta, approximata, aequalia, subulata, albida, corolla breviora, tubo inserta. *Antherae* tres, distinctae, erectae, sagittatae, luteae.

Pistillum. *Germen* ovatum, inferum, triquetrum, viride, spathae valvulis persistentibus tectum. *Stilus* simplex, filiformis, virescens, staminum longitudine. *Stigma* trifidum, laciniis bifidis, deflexis, villulosis, albescentibus.

Pericarp. *Capsula* oblonga, rotundato-trigona, torulosa, trilocularis, trivalvis, cinerascens, spatha arescente cincta.

Semina monocotyledonea, minuta, subrotunda, glabra, fusco colore praedita.

Synonimia.

Crocus vernus angustifolius parvo flore. Bauh. *pin.* 67.

Crocus vernus angustif. 3. Clus. flore minore caeruleo. J. Bauh. *hist.* 2. 645.

Crocus sylvestris hispan. vulgo *Nozilicha* maior etc. Lob. *obs.* 69. *ic.* 142.

Crocus vernus minor 3. Clus. *hisp.*

Crocus vernus angustifol. 2. Clus. *hist.* 207. iuxta iconem; et Crocus vernus angustifol. 3. iuxta descriptionem 208.

Observat. Flores sunt parvi, unde nomen *parviflora*, e-

vix ex arena emergunt; plerumque albi, sed aliquando etiam colore dilute violaceo tincti sunt, quem parumper servant, dum post paucas horas albi fiunt. Rami fructiferi adeo deflectuntur, ut capsula in arena se condat; quum vero semina maturescunt, iidem rami se erigunt omnes. Semina disperguntur Majo. Cultura nihil mutat.

Haec *Ixiae* species ab *Ixia Bulbocodio* differt scapo ramoso; ramis floriferis adscendentibus, fructiferis cernuis; foliis striatis, ad eorum longitudinis medietatem arcte conniventibus; floribus parvis, antheris sagittatis, et capsulis oblongis. Nam *Ixia Bulbocodium*, quae a nobis sicca servatur in herbario et colitur, Linnaeanae definitioni et Columnae figurae ad unguem respondet. Huius speciei scapus est simplex, 1. ad 2. pollices longus. Folia fere semper sunt quatuor, sulcata; interna canaliculata, externa conniventia. Spatha medietatem longitudinis corollae respondet. Corolla magna est, supra medietatem suae longitudinis pallide violacea, infra flava. Antherae sunt oblongae, erectae etc. Qui characteres minime observantur in nostra; idcirco uti speciem minus cognitam descripsimus. Conf. Linn. *sp. pl.* 51. Jacq. *Coll.3. 265. Icon. rar.*2. t. 271. Col. *Ecphr.*2. t.7. f.1.

Historia.

Clusius primus inter veteres, ni fallor, in *plant. hispan.* huius *Ixiae*, Gadibus repertae, iconem nobis reliquit sub titulo: *Crocus vernus minor 3.* et hanc descriptionem addidit: *Uberioribus et crassioribus est tertia foliis, iisque interdum surrectis: flos duarum praecedentium flore longe minor, totusque caeruleus, tribus exterioribus foliis exceptis, quae foris virescente colore nonnihil aspersa sunt: huius radix priori forma similis, paul-*

lo tamen maior est, semen etiam crassiusculum. Quae descriptio proxime nostram plantam respicit, non in alio abludens, nisi dumtaxat in colore floris intensius caeruleo; at eius figura quam maxime ad nostram accedit.

In *hist.* autem *rar. plant.* sub titulo *Croci verni angustifol.3.* memoratam descriptionem repetit, quae respondet figurae sub titulo *Croci verni angustifol. 2.* relatae in pag. 207. eiusdem operis, quam eandem in historia plantarum hispaniarum penes suam descriptionem delineaverat. Hoc vitium quod fortasse typographi negligentia hac in re irrepsit, a J. Bauhino fuit animadversum, ut in sua *hist. univers.* 2. 645. ubi eadem Clusiana descriptio legitur, ac eiusdem auctoris figuram dat conspiciendam.

Post hos scriptores Lamarck in *Enciclop. meth.* eiusdem plantae meminit, uti *Ixiae Bulbocodii* varietatis; nam sub specifica definitione *Ixiae Bulbocodii* a Thumberg. non aliena, quae nostrae *Ixiae* convenire videtur, refert uti varietates Bauh. Clusii etc. synonimias. At silentio non praetereundum, et ante Lamarck extitisse nostrum Cyrillum, qui in suo itinere MS an. 1764. penes Franciscum Ricca M. D. existente de hac planta ita loquutus fuit: *In litore arenoso versus Puteolos, vulgo* Bagnoli. *Crocus vernus angustifolius parvo flore Bauh. pin. 67. Figura Clusii recte plantam adumbrat. Vix ex arena flos elevatur mense Februario et Martio. Linnaeus nullam eius mentionem iniicit. Num ad Ixias sit referendus?*

TABULAE EXPLICATIO.

A Tota planta naturali proportione cum flore et fructu.
a Corolla absque spathae valvulis cum germine subiecto.
b Genitalia statura naturali.
c Eadem lente aucta.
d Filamentum cum anthera auctum.
e Pistillum cum spathae valvulis reflexis.
f Una e stigmatis laciniis lente visa.
g Capsula dehiscens, valvas et semina repraesentans.
h Capsulae valva cum seminum numero et situ.
i Semina soluta statura naturali.